qui Christianos à se dissentientes nullo non scommate impe
tere laudi ducunt: quod et auriti saepe testes experti sumus
et oculati lectores quotidie experimur. de Ibero quae lusi
diu ante factam pacem de hoste dixi, neque enim
tot Epigrammata nascuntur paucis annis, neque ejici
continuo, mutatâ rerum facie; justum est, quae cum
nascerentur apposite prolata fuerant, in Italiae degeneris
vitia adolescens invehebar, adjecto tum quoque tenui thure
quod di Patero placuit non observare. neque eam rem
hactenus mihi vitio versam memini. quae ibi flagitia
commemoravi, an leniore manu defricari mereantur,
Jesuitae viderint, nobis horrori sunt. Haec Jesuitae dicta
sunto, non Patero, cujus ego et eruditionem suspicio et
amicitiam usque colui et culturus sum. 17. Febr: 1656.

Vincentio Fabricio Syndico Gedanensi

Amplissime ac Doctissime Vir.

(454)

Munusculum diu tibi destinatum tandem ecce patris
nomine oblatum it de quatuor filiis natu minimus.
Ei praecipue hoc mandavi, refricaret veteris amicitiae
memoriam, testareturque eodem me animo erga te
affectum vivere, quem olim si parum prolixe testatus
sum, habui certo integerrimum, et nomini tuo
addictissimum. Proinde Adolescentem hunc ut benevo
lentiâ tuâ complectare, videor mihi meo quodam
jure postulare. Fiat, rogo, citra incommodum tuum
et me ames, qui sincere sum Tuus.
8. Mart: 1656.

Westerbanio.

(455)

Obruis me, Vir Nobilissime, nimium frequenti humani
tate, et quod non obscure patiuntur, qui redhostiendo
pares non sunt, quodammodo pudori meo gravis es.
Si tamen patrissat ista cohors et matrissat, erit cum
progeniem ejus, non qualis ipsa advolavit, sartam
tectamque, sed fartam, lectam lixamque et assam, in
Vitaulio donatori apponemus, pulchrae sortis qualem
cumque usuram. Fiet id solenni sacro, quali nuper
interesse voluisti,

Quot nos fata sinent nostris septembribus ortus
Quemque sui festum rite lavare diem.

Vale Vir Eximie, et his hactenus, quod soles, munificentiae
tuae satisfieri vel invitus patere. In Vitaulio ubi
hoc

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 161r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5459